



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Arbor Vitæ Sive Vita Et Doctrina Christi**

Ex Quatuor Evangeliiis In Meditationes Quotidianas Velvti Totidem Ramos  
Distributa

**Illsung, Jakob**

**Dilingæ, 1693**

Meditatio CCCXLVI. Christus Ostium Ovilis, & Pastor Ovium.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-60727](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-60727)

hunc exaudit. *A seculo non est auditum, quia quis aperuit oculos cæci nati. Nisi esset Hic à DEO, non posset facere quidquam.* Hujusmodi homines imitandi sunt, qui de alijs & honorificè loquuntur, & malè loquentibus ac sentientibus se audent opponere, Proximique honorem tueri, etiam coram potentioribus, & nocere valentibus. Disce etiam à cæco illo modum efficaciter orandi, & impetrandi omnia à DEO. Si enim vis, ut DEVS faciat secundum voluntatem tuam, tu prius exequere Voluntatem DEI.

## MEDITATIO CCCXLVI.

*Christus Ostium Ovilis, & Pastor*

*Ovium. Ioan. 10. v. 9.*

**PUNCTUM I.** *Ego sum Ostium, per me si quis introierit, salvabitur: & ingredietur, & egredietur, & pascua inveniet.* Ioan. 10. v. 9. Quia Judæi propter publicam Christi Professionem cæcum ab illo sanatum Synagoga excluderunt, pessimè id ab illis factum esse Christus ostendit, eo quòd Professio Christi omnino necessaria fit, ut quis in Ecclesiam DEI, velut ovis in ovile intret; unde Christus se Ostium appellat, per quod ingredientibus Salus Animæ promittitur; ad quam obtinendam Anima per Christum ubique invenit sua pascua, sive ingrediatur ad Quietem & Contemplationem, sive egrediatur ad Operationem & executionem Boni Operis: sive ingrediatur ad DEVM, sive egrediatur ad Proximum. Considera itaque, qualia pascua in Ecclesia, & præsertim in Religiosa Familia inveniuntur, quibus Animæ Vita, & Salus conservari,

servari, augeri, & nutriri potest: ejusmodi sunt Oratio, Meditatio, Conscientiæ discussio, Lectio, & auditio Verbi Divini, Missæ Sacrificium, Sacramentorum frequentia, functiones in utilitatem corporalem vel Spiritualem Proximi susceptæ &c. Inquire, an quoties, qua fame ac desiderio ingrediaris, & egrediaris ad hæc pascua.

PUNCT. II. *Ego sum Pastor Bonus.* Joan. 10. v. 11. Non tantum Ostium ovilis, sed etiam Pastorem Bonum se dicit, idque probat 1. ex Amore erga oves: *Bonus Pastor Animam suam dat pro ovibus suis.* v. 11. *Animam meam pono pro ovibus meis.* v. 15. *Ego veni, ut vitam habeant, & abundantius habeant.* v. 10. Idem probat 2. ex provida cura erga singulas oves seorsim, quia *Proprias oves vocat nominatim, & educit eas,* scilicet ad pascua. Hanc Providentiam indicavit etiam v. 14. dicens: *Ego sum Pastor Bonus, & cognosco meas.* 3. Probat ex fidei Custodia, quam præstat ovibus Pastor Bonus: *Cum proprias oves emiseric, ante eas vadit, ut contra lupum venientem eas tueatur. Mercenarius autem & qui non est Pastor, videt lupum venientem, & dimittit oves, & fugit.* v. 12. Triplex hæc probatio Boni Pastoris in animis Ovium excitare debet magnum Amorem, ut vitam sibi servatam in ejus usum impendant, & magnam Fiduciam de Providentiâ erga se in particulari, & de protectione tempore tentationis, quando Optimus Pastor videt lupum venientem: Non enim fugiet, nec nos deseret.

PUNCT. III. *Et oves illum sequuntur, quia sciunt vocem ejus. Alienum autem non sequuntur, sed fugiunt ab eo, quia non noverunt vocem alienorum.* v. 4. Postquam perpendisti, quam bene probaverit Christus se Bonum

num Pastorem esse, & quomodo se talem erga te exhibuerit; considera nunc officium bonæ Oviculæ in duobus consistere 1. ut præeuntem per Imitationem sequatur. 2. ut Vocem, Doctrinam, & Monita ejus audiat, agnoscat, & exequatur. Alienos autem, five dæmones, five homines, abducentes ab Exemplo & Doctrina Christi, fugiat.

## MEDITATIO CCCXLVII.

*De Electione, & Missione septuaginta Discipulorum. Luc. 10. v. 1.*

**PUNCTUM I.** *Posthæc autem designavit Dominus & alios septuaginta duos: & misit illos binos ante faciem suam in omnem civitatem & locum, quo erat ipse venturus. Luc. 10. v. 1.* Cùm tantùm sex menses Vitæ Christo superessent, & proinde diu in eodem loco morari non posset, pro Conversione Judææ elegit sibi omnino LXXII. Discipulos, qui animos populi Judaici dispo-nerent, & præpararent ad Christum, & ejus adventum, Doctrinamque suscipiendam: Sicuti idem Lucas cap. præcedenti refert, initio Prædicationis maximè pro Galilæa duodecim Apostolos electos, & cum ijsdem monitis ac præceptis hinc inde binos præmissos esse. Considera itaque ingens Beneficium tum illis obveni-ens, qui pro Conversione, & Salute aliorum eliguntur, & designantur per specialia Dona & Gratias, quibus tanto muneri idonei reddantur: tum illis, ad quos hujusmodi nuncij à Christo præmittuntur. Unde pro hoc Beneficio etiam rogari vult, dicens: *Rogate ergo Dominum messis, ut mittat Operarios in messem*